



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

2. Super universos &c. In Germania inferiore seu Galliâ Belgicâ tres  
Archiepiscopatus Mechliniensem, Cameracensem & Utrajectensem &c.  
instituit: anno 1559.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)



que ad hunc diem impositis & imponendis; ac in Diocesi in qua erunt ordinarii Collatores, quicumque Beneficia Ecclesiastica ad eorum collationem, tam conjunctim, quam divisim pertinentia, qualitercumque reservata, præterquam veræ, & non juxta Constitutiones, Declarationes per recolendæ memoriæ Paulum Tertium Romanum Pontificem, & dictum Julium similiter Prædecessores nostros editas, familiaritatis continuæ & commensalitatatis Romani Pontificis pro tempore existentis, liberè conferre poterunt: quodque regulæ de infirmis resignantibus, tam citrà, quam ultra montes, in præjudicium Indulorum eorundem Cardinalium, & Indultis ipsis, ad instantiam Regum & Principum, etiam virtute quorumcumque Mandatorum ac gratiarum, non derogabimus. Necnon contra eorundem Cardinalium personas in quacunque causa, nisi in casibus hæresis vel schismatis, aut læsæ Majestatis, in primo capite, ac præcedente legitima causæ cognitione & processu, coram Cardinalibus ad id de duarum partium aliorum Cardinalium tunc præsentium consensu, per modum secretum præfinito deputandis, non procedemus, nec procedi faciemus. Et præterea Civitates, terras & loca aut bona, vel jura ejusdem Romanæ Ecclesiæ, etiam ex causa permutationis, etiam cum recompensâ, aut pro evidenti utilitate, vel necessitate, alienare seu infeudare, etiam si alienari vel infeudari consueverint, ad longum tempus locare; vel pignori tradere, seu in gubernam, aut alio titulo ultra vitam nostram concedere, etiam omnibus Cardinalibus consentientibus, minimè valeamus, nisi illa quæ de cætero ob lineam finitam, & aliâs legitime devolventur. Et si aliter fecerimus, id sit nullius roboris, ac momenti, ac quoadcunque retractari possit & debeat. Et si qui Cardinalium ad id (quod absit) consenserint, non solum perjuri, sed etiam infames infamiâ juris & facti existant: teneanturque Cardinales in futurum promovendi ante receptionem pilei jurare, præmissis consensum non adhibere. Ac post coronationem nostram, infra decem dies Bullam, sive Constitutionem perpetuam præsentis Capituli confirmatoriam edere & publicari facere. Et quod nullo pacto bellum geremus adversus Principes Christianos, aut cum aliquo eorum contra alium sedes inibimus; aut Ligam faciemus: Sed nos communem Patrem & æqualem omnibus exhibebimus, neutralitatemque veram servabimus, nisi ex justa & urgenti causa, quæ à majori parte ipsorum Cardinalium in Consistorio secreto, & per modum secretum probata fuerit. Ac nemini, nisi per modum secretum de consensu duarum partium Cardinalium eorundem, facultatem præsentandi vel nominandi, aut consensum præstandi ad Ecclesias Cathedralis, seu Monasteria, vel alia Beneficia Consistorialia, in Consistorio proponantur & expendantur, unquam concedemus. Et cum deceat Consistorialia in Consistorio expediri, rationem habebimus; quod non solum provisiones Ecclesiarum, sed etiam Monasteriorum, ac alia Beneficia Consistorialia in Consistorio proponantur & expendantur. Nec Litteræ Apostolicæ, seu Bullæ desuper per Secretarium aut aliter expediri possint, nisi per viam ordinariam Cancellariæ, seu dictæ Cameræ Apostolicæ. Ac nullas etiam ad instantiam Principum imponemus decimas, nisi urgentibus de causis à majori parte dicti Collegii per secreta suffragia approbandis. Et demum Personas Ecclesiasticas, quarum Beneficiorum Ecclesiasticorum fructus valorem viginti quatuor Ducatorum similibus secundum omnem æstimationem excomputandis distributionibus quotidianis non excedant, decimis quacunque de causa imponendis non gravabimus. Ac procurabimus etiam, & cum effectu, quantum in nobis fuerit, faciemus, ut Basilica Principis Apostolorum de urbe perficiatur; & tantum pecuniarum in ea erogabimus, quantum per conscientiam nostram à nobis fieri posse arbitrabimur.

Nec non super omnibus & singulis Capitulis prædictis eorumque executione, tam conjunctim, quam divisim, Litteras Apostolicas cum omnibus & singulis Decretis, Clausulis & Mandatis necessariis & opportunis, ad libitum partium quoad præmissa concernunt, tot quot ipse partes voluerint, dabimus.

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1555. 4. Kalendas Junii, Pontificatus nostri anno primo. Signé sur le reply, R. Danerius. Seellé en plomb pendant en laqs de foye rouge & jaune. Et sur le reply est écrit. *Registrata in Secretaria Apostolica, ligné, ROTULO.*

In Germania inferiore seu Galliâ Belgicâ tres Archiepiscopatus Mechliniensem, Cameracensem & Utrajectensem &c. instituit: anno 1559.

## PAULUS EPISCOPUS.

*Servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.*

**S**uper universas Orbis Ecclesias, eo disponente, qui cunctis imperat, & cui omnia obediunt, quamquam sine nostris meritis constituti, levamus in circuitu Agri Domini oculos mentis nostræ, more pervigilii Pastoris inspecturi, quid Provinciarum & locorum quorumlibet statui & decori, quidve illorum incolarum animarum saluti congruat; ac desuper hoc præsertim tempore, quo humani generis hostis omni conatu ad ipsarum animarum perniciem, & Fidei Catholicæ everisionem incumbit, disponi debeat.

Et divino fulci præsidio dignum, quin potius debitum arbitramur, in irriguo militantis Ecclesiæ agro novas Archiepiscopales & Episcopales Sedes & Ecclesias plantare, ut per hujusmodi novas plantationes popularis augeatur devotio, Divinus Cultus effloreat, & animarum ipsarum salus subsequatur; ac loca insignia, ea præsertim, quorum Incolæ, benedicente Domino, multiplicari noscuntur, dignioribus titulis, & condignis favoribus illustrentur, ut propagatione novarum Sedium, Venerabiliumque Præsulum assistentiâ, regimine & doctrinâ suffulti cum Apostolicæ Auctoritatis plenitudine, & orthodoxæ Fidei augmento, populi ipsi proficiant semper in Domino, & quæ in temporalibus sunt adepti, non careant in Spiritualibus incremento, præsertim cum id Catholicorum Regum & Principum exposcat devotio.

Cum itaque mentis nostræ aciem convertissemus in eam inferioris Germaniæ partem, quæ charissimi in Christo Filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici, ditioni hæreditario jure subjecta est, scientes, messem quidem ibi multam esse, operarios autem paucos; propter quod cum ea Regio antiquitus, erectionis Cathedralium Ecclesiarum suarum tempore, sparsim & infrequenter admodum habitaretur, à tot jam, tantisque populis & gentibus incolitur, ut pro Oppidorum celeberrimorum, quibus utique referta est, frequentia, & castellorum pagorumque multitudine, paucæ ibi sint Ecclesiæ Cathedralis, quo fit, ut tam pauci Episcopi non eâ, quæ opus est, diligentia tantam animarum multitudinem regere possint.

Quod quibusdam eorum hoc etiam est difficilius, quod ipsorum Diocesani Linguae idiomate, institutisque differant, & quidem eorum etiam ejusmodi Privilegia habeant, ut ipsos ad Sedem Episcopalem non liceat evocare; ita ut nec Fidei Doctrinâ, & piè vivendi præceptis commodè instrui, nec, si quid deliquerint, facile corrigi ab Episcopis suis possint.

Ad ipsos verò Episcopos visitandos, admonendos, & in officio continendos, ne una quidem in tota illa tam celebri, & tam longè, latèque patente Regione Ecclesia est Metropolitana; sed illæ, quibus subjæctæ sunt,

II.  
Ex Op.  
Dipl. Mi-  
raï Tom. I.  
pag. 472.



extra fines ipsius Regis Philippi sunt, earumque Archiepiscopi, propter multa & varia impedimenta, nulli Suffraganeis suis usui jam pridem fuerunt.

Ad quæ tanta incommoda cum hoc quoque accedat, quod cum ea Regio omni ferè ex parte cincta sit, & obfessa à populis hereticis, atque schismaticis, propter assiduas hereticorum insidias, dolos & fraudes, pestiferasque doctrinas, Catholica illie Fides, & animarum salus in maximo discrimine & periculo versantur.

His causis aliisque, quæ animum nostrum implectunt, adducti, præcibus etiam annuere volentes, tamque pio desiderio satisfacere ipsius Philippi Regis, qui pro sua pietate, & Catholicæ Fidei studio hac de re nobiscum, & sæpe, ac perquam diligenter per Litteras & Nuntios egit: habitæ, sicuti rei magnitudo postulabat, cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, tam graviter periclitanti in illis partibus Fidei orthodoxæ, & animarum salutis aptissimum remedium esse duximus, si veterum Ecclesiarum in illa Regione positarum Dioceses, commodioris regiminis causâ, dividerimus, novisque erectis Cathedralibus Ecclesiis ejusmodi præficerentur Episcopi, qui tum exemplo, tum verbo commissas sibi oves pascant, & proborum eorundemque Doctorum virorum copiâ muniti, idoneorumque operâ ministrorum adjuti, illas adversus insidiantium luporum rabiem tueantur, atque custodiant, & Metropolitanæ aliquot Ecclesiæ opportunitis ejus regionis locis erigantur, ad quas commode adiri possit, quibus qui præfuturi sunt, Suffraganeos suos in officio contineant.

Ex certa igitur nostra scientia, de eorundem Fratrum nostrorum consilio, ac de Apostolicæ plenitudine Potestatis, ad Dei Omnipotentis honorem, & Sanctæ ejus Ecclesiæ utilitatem, Cameracensem, Ultrajectensem, Atrebatensem & Tornacensem Ecclesias, Civitates atque Dioceses à Remensi, Coloniensique Provinciis, quibus sunt Metropolitanico Jure subjectæ, ac Mechliniense, Antverpiense, Harlemense, Daventriense, Leovardienfense, Groeningense, Middelburgense, Buscoducense, Ruremundense, Namurcense, Audomarenfense, Yprenfense, Gandavense & Brugense, celeberrima Cammeracensis, Trajectensis, Leodiensis, Morinensis & Tornacensis Diocesium oppida, à suo quoque eorum Diocesi & Provincia:

Præterea ab Ecclesia Cameracensi (quam nuper ab omni Potestate & Jurisdictione Remensis Archiepiscopi, cui Suffraganea erat, liberavimus) eam ipsius Diocesis Cameracensis partem, quæ in Brabantia Ducatu, & Flandriæ Comitatu existit, itemque ab Ecclesia Diocesisque Leodiensi, eam ipsius Diocesis Leodiensis partem, quæ est in Namurcensi & Hortensi Comitatu, ac Brabantia & Geldria Ducatibus, ditionis ipsius Philippi Regis, itemque ab Ecclesia & Diocesi Tornacensi, eam partem ipsius Tornacensis Diocesis, quæ à Roesbeke pago, & Aldenardo oppido ad Oceanum vergit, ipsis pago & oppidis inclusis, itemque ab Ecclesia & Diocesi Trajectensi eam partem ipsius Diocesis Trajectensis, quæ in Flandriæ Comitatu existit, & Insulas Zelandiæ, ac totam Hollandiam aquaticam, & partem illius Hollandiæ, quæ firmior appellatur, usque ad Oppida, Leidense exclusivè, & Amstelodamense inclusivè, ac Insulas Vlieland & Texel, ac Wieringen, ac totam Regionem Transfalanæ, ac Groningen & Frisiam, cum magna parte Ducatus Geldriæ, quæ inferior appellatur, usque ad Hardevicum, & Schernbergum Oppida inclusivè, & usque ad Arnhem & Wageninge Oppida, ipsis tamen exclusis, necnon partes quasdam ultra Wahalin Fluvium ad ipsum Geldriæ Ducatum pertinentes, & magnam aquam Dordracensem versus Brabantiam.

A dilectis tamen Filiis ipsius Capituli Ecclesiæ Trajectensis, seu illius Mensæ Capitulari omnem jurisdictionem, omniaque Jura Episcopalia ipsius

Capituli, quæ habet in Regione Westfrisia vocata, ab Olinabrugensi, & Monasteriensi, ac Coloniensi & Paderbornensi Ecclesiis & Diocibus, & Coloniensi Provincia eas partes Olinabrugensis, & Monasteriensi, ac Coloniensi, & Paderbornensi Diocesium, quæ intra fines Regis Philippi existunt, cum omnibus & singulis earum terminis & territoriis, ac Cleris, populis & personis, Monasteriis, Ecclesiis, ac piis locis, ac Beneficiis Ecclesiasticis, cum Cura, & sine Cura, Sæcularibus & Ordinum quorumcumque Regularibus; ab ipsa autem Ecclesia Morinensi, per obitum Comitis Francisci de Crequy, olim Episcopi Morinensis, abhinc circiter prepenium defuncti, Pastoris solatio destituta, eam partem ipsius Diocesis Morinensis, quæ in Artesia extitit, & Flandriæ Comitatu, ditionis ipsius Philippi Regis, cum ipsius terminis, Territorio, Castellis, Pagis & Locis, Clero ac Populo, & Personis, Monasteriis, Ecclesiasticis, ac piis Locis, ac Beneficiis Ecclesiasticis, cum Cura, & sine Cura, Sæcularibus; aut Ordinum quorumcumque Regularibus, fructusque, redditus, proventus, decimas, jura & emolumenta, quæ Episcopus Morinensis, jura quoque, quæ Archiepiscopus Remensis in Diocesi Morinensis terminis, Territorio, Castellis, Pagis & Locis prædictis, seu ratione visitationis, aut quovis alio jure & causa percipere consueverunt, à mensa Archiepiscopali Remensi, & Episcopali Morinensi Auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuò eximimus, segregamus, dividimus & separamus, ab omni jurisdictione, potestate & subjectione Remensis & Coloniensis Archiepiscoporum, ac Cameracensis, Tornacensis, Leodiensis, Morinensis, Trajectensis, Osnabrugensis, Monasteriensi & Paderbornensi Episcoporum, pro tempore existentium, ac dilectorum Filiorum Capitulorum Remensis, Coloniensis, Cameracensis, Trajectensis, Leodiensis, Morinensis, Tornacensis, Osnabrugensis, Monasteriensi & Paderbornensi Ecclesiarum, atque à solutione decimarum, & quorumvis aliorum jurium eisdem Archiepiscopis, Episcopis & Capitulis, ac Cleris, & aliis prædictis ratione jurisdictionis, subjectionis ac legis Diocesanæ & Metropolitanæ debitorum.

Ita ut posthac Episcopus Morinensis Jurisdictionem aliquam in partem à Diocesi separatam, & illius Territorium, Castella, Pagos, & Loca, ac Clerum, Populum, & Personas, ac Monasteria, Ecclesias, & pia loca ac beneficia exercere, & beneficia sub hac separatione, ac divisione comprehendere, quæcumque, quotaque, & qualiacumque sint, quæ ad ejus collationem antea pertinebant, conferre, seu fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta ab eo in parte à Diocesi separata, terminis, Territorio, Castellis, Pagis, & Locis prædictis, subventionis Causâ, aut qualibet alia occasione & ratione percipi solita, & Episcopus Morinensis, atque Archiepiscopus Remensis, prædicti, in parte Diocesis ipsius adempta, ac Terminis, Territorio, Castellis, Pagis, ac Locis præfatis de iis, quæ ad eos ratione visitationis ipsorum, & Legis Diocesanæ, ac Metropolitanæ pertinebant, intrmittere se nullo pacto possint, eximimus, & omninò liberamus.

Cameracensem verò, & Collegiatam S. Rumoldi Oppidi Mechliniensis, & Trajectensem ad Mosam Ecclesias in Metropolitanas, & Cameracenses, & Trajectenses ad Rhenum Sedes Episcopales in Archiepiscopales, easque, & ipsam Ecclesiam Sancti Rumoldi, Metropolitanorum Præsulum Sedes, ac Provinciarum Capita, scientia, consilio, & potestatis plenitudine similibus, auctoritate, & tenore præmissis, etiam erigimus, & institimus.

Ex quibus Archiepiscopis nuncupandis, Cameracensis, quidem pro sua Diocesi habeat viginti octo Oppida, cum Castellis, Pagis, & Monasteriis interjacentibus, inter sparium septuaginta duorum millium passuum Italicorum in longitudi-



nem, sexaginta verò in latitudinem per Nuntium nostrum, propediem à nobis illuc mittendum, limitanda. Trajectensis autem pro sua Diœcesi obtineat Territorium Trajectense, & majoris partis Hollandiæ, magnæque partis Geldriæ, cum Dominicis de Buren, de Cuylenburg, de Vianen, Armuyden, Iffelsteyn, triginta Oppidorum, præter Pagos, in longitudinem nonaginta, in latitudinem quadraginta millium passuum, similiter terminandorum, ut dictum est.

Eisdem autem duobus, & tertio Mechliniensi, nuncupandis Archiepiscopis Pallium, & Crucem, sicut mos est deferendi, reliquisque omnibus insigniis, honoribus, ornamentis, privilegiis, & prærogativis Ecclesiarum, ac Sedium Metropolitanarum, utendi jus, & potestatem concedimus.

Mechliniense autem, Antverpiense, Harlemense, Daventriense, Leovardiense, Grœningense, Buscoducense, Ruremundense, Namurcense, Audomarense, Ipreense, Gandavense, Middelburgense, & Brugenense; Oppida in Civitates erigimus, ac in eis sic erectis Ecclesias S. Albani Namurcensem, S. Audomari ejusdem Civitatis, B. Virginis Antverpiensem, S. Joannis Gandavensem, S. Donatiani Brugenensem, S. Lebuini Daventriensem, S. Joannis Evangelistæ Buscoducensem, & S. Spiritus Ruremundensem, Collegiatis, ac S. Bavonis Harlemensem, S. Viti Leovardiensem, S. Martini Grœningensem, Parochiales, nec non B. Mariæ Præmonstratensis Middelburgensem, Monasterii S. Martini, S. Augustini Canonicorum Regularium, ordinum, Ipreensem, sub iisdem invocationibus in Cathedralibus, scientia, consilio, potestate, & auctoritate, & tenore præmissis erigimus, pro cuiusque earum Civitatum creandis Episcopis, qui suæ quisque præsent, earumque ædificia augeant, & in Cathedralium Ecclesiarum formam redigant, ac jurisdictionem Episcopalem, aliaque omnia, & singula, quæ ad ordinem, & jurisdictionem, ac munus Episcopale pertinent, in Civitatibus, Oppidis, Terminis, Territoriis, Insulis, finibus, & partibus Diœcesium divisarum, postquam terminata fuerint, respectivè exercent.

Atque in iisdem Metropolitanis Archiepiscopales, in Cathedralibus verò sic erectis Ecclesiis Episcopales dignitates cum Sedibus, & Mensis Archiepiscopalis, & Episcopalis, aliisque Metropolitanarum, & Cathedralium Ecclesiarum insigniis, mensis, arcis, Sigillis, aliisque Capitularibus insigniis, honoribusque, & privilegiis, quibus cæteræ Metropolitanæ & Cathedralibus Ecclesiis de jure, vel consuetudine utuntur, vel uti poterunt, similiter erigimus, & instituimus.

Ecclesiis verò supra commemoratis sic in Cathedralibus erectis, eisdemque Civitatibus in perpetuum concedimus, & assignamus pro suis Diœcesibus.

Namurcensi Comitatum Namurcensem, & Galliæ Brabantiæ partem, longitudinis quadraginta, & latitudinis triginta millium passuum Italico-rum.

Audomarensi districtum decem Oppidorum continentium longitudinis quadraginta duo, latitudinis triginta novem millia passuum similia.

Mechliniensi districtum decem & septem Oppidorum cum Pagis interjacentibus longitudinis sexaginta novem, latitudinis triginta millium passuum similia.

Antverpiensi Territorium septem Oppidorum, cum Pagis interjacentibus, longitudinis quinquaginta sex, latitudinis triginta millium passuum similia.

Gandavensi Territorium quatuor Oppidorum, cum Pagis interjacentibus, longitudinis quadraginta sex, latitudinis viginti quatuor millium passuum similia.

Brugenensi Territorium novem Oppidorum, cum Pagis interjacentibus, longitudinis quadraginta qua-

tuor, latitudinis viginti quinque millium passuum similia.

Iprensi Territorium decem Oppidorum, cum interjacentibus Pagis, longitudinis quadraginta duorum, latitudinis triginta trium millium passuum similia.

Buscoducensi Territorium decem Oppidorum, cum interjacentibus Pagis, longitudinis sexaginta, latitudinis triginta millium passuum similia.

Ruremondensi Territorium decem Oppidorum cum Pagis interjacentibus, longitudinis quinquaginta, latitudinis triginta millium passuum similia, Comitatu Hornensi in eis comprehenso.

Harlemensi Territorium duodecim Oppidorum, præter Pagos interjacentes, longitudinis nonaginta, (al. sexaginta) latitudinis triginta millium passuum similia.

Daventriensi Territorium triginti quinque Oppidorum, præter Pagos interjacentes, longitudinis sexaginta duorum, latitudinis quadraginta sex millium passuum similia.

Leovardiensi Territorium decem Oppidorum, præter Pagos interjacentes, longitudinis septuaginta duorum, latitudinis quadraginta millium passuum similia.

Grœningensi Territorium Patriæ Grœningensis, & Drentiæ, ac Insularum Rollinghe, & Borchum.

Middelburgensi Territorium decem Oppidorum, præter Pagos interjacentes, longitudinis quinquaginta sex, latitudinis triginta millium passuum similia, pro sua cuiusque eorum Episcoporum Diœcesi, sicut dictum est, assignanda.

Personas verò Ecclesiasticas pro Clericis, & Laicos in illis habitantes pro populis eorundem; Præterea Cameracensi Atrebatensem, Tornacensem, Audomarensem, & Namurcensem: Mechliniensi verò Antverpiensem, Gandavensem, Brugenensem, Ipreensem, Buscoducensem, & Ruremundensem: Trajectensi autem Ecclesiis prædictis, Harlemensem, Daventriensem, Leovardiensem, Grœningensem, & Middelburgensem Civitates, Diœcesesque prædictas, eisdem scientia, consilio, & potestatis plenitudine, & Auctoritate Apostolica, & tenore attribuimus, & pro cuiusque ipsarum Metropolitanarum Provinciarum esse statuimus.

Ipsasque sic erectas Cathedralibus Ecclesias, easque, qui pro tempore fuerint Cameraci, Mechliniæ, & Trajecti Archiepiscopi, qui Suffraganei ut membra Capiti, sic eisdem Archiepiscopis Metropolitanico jure subiecti sunt, & Cameracensis, Mechliniensis, & Trajectensis Provinciarum Cleros, & Populos universos, pro suis cuiusque Ecclesiarum Provincialibus, quorum singulorum causæ ad suum cuiusque eorum Archiepiscopum secundum Sacros Canones deferantur, perpetuò similiter concedimus, & assignamus.

Et quod ad Archiepiscopalia, Metropolitana, & Provincialia jura pertinet, Civitates, Diœceses, Cleros, & Populos sæpius commemoratos eisdem Præsulibus, qui pro tempore fuerint, subijcimus, sicut eosdem Civitates, Diœceses, Cleros, & Populos, quod ad ordinariam Episcopalem jurisdictionem, & potestatem attinet, suis quoque ipsorum, qui pro tempore fuerint, Episcopis subiectos esse decernimus.

Archiepiscopali verò Mechliniensi quinque millium, & cuilibet ex Episcopalis Mensis hujusmodi trium millium Ducatorum auri de Camera annuos redditus ex certis decimis, & Bonis, ac fructibus, redditibus, & proventibus Ecclesiasticis, per dictum Nuntium specificandis, & repartendis, ex nunc, prout extrunc, & econtra, postquam specificati, & repartiti fuerint, ac interim donec specificatio, & repartitio hujusmodi factæ, & effectum sortitæ sint, & non ultra, Mechliniensi trium millium, ac cuilibet ex Episcopalis Mensis prædictis mille, & quingentorum Ducatorum similia annuos redditus per ipsum Phi-



lippum Regem ex reductibus, & proventibus, quos ex dicta Regione percipit assignandos, & Archiepiscopo Mechlinensi, ac singulis Episcopis præfatis pro tempore existentibus singulis annis, quousque specificatio, & repartitio prædictæ, ac pro ea tantum parte, quæ plenarium suum effectum minus sortita fuerit, & non ultra, integrè, & proportionabiliter perfolvendos, pro earum dote de pari Consilio, eadem auctoritate etiam perpetuò applicamus, & appropriamus.

Eidem autem Philippo Regi, ejusque Successoribus, qui pro tempore ejusdem Regionis in temporalibus Domini extiterint, jus nominandi personas idoneas, in Theologia Magistros, aut in Decretis Doctores, seu Licentiatos, Nobilium Universitatum more, diligenti examine præcedente, promotos, ad Mechliniensem, Antverpiensem, Trajectensem, Atrebatensem, Tornacensem, Harlemensem, Ruremundensem, Namurcensem, Gandavensem, ac Brugensem, Daventriensem, Buscoducensem, Leovardensem, Græningensem, Middelburgensem Ecclesias prædictas, tam in hac prioris vice, quam quotiescumque illas pro tempore vacare contigerit, nobis, vel Romano Pontifici, qui pro tempore fuerit, per nos, & eundem Pontificem in Archiepiscopos, & Episcopos earum ad nominationem ejusmodi instituendos, de eodem Consilio, & scientia, & auctoritate præmissis in perpetuum reservamus, atque concedimus, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac prædictarum, & quarumvis aliarum Ecclesiarum, nec non Monasteriorum, & Ordinum hujusmodi, etiam juramento, vel confirmatione alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, Archiepiscopis, Episcopis, Capitulis, & aliis præfatis, ac quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis Clausulis irritantibus, & aliis decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac consistorialiter concessis, ac etiam iteratis vicibus confirmatis, & innovatis.

Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hæc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum infererentur, præsentibus pro sufficienter expressis & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permanentibus, hac vice duntaxat harum serie specialiter, & expressè derogamus, illaque adversus præmissa suffragari nullo modo posse, seu debere decernimus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum exemptionum, segregationis, divisionis, separationis, liberationis, erectionum, institutionum, concessionum, assignationum, attributionis, Statuti, subjectionis, decretorum, applicationis, appropriationis, reservationis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ, apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millefimo Quingentesimo, quinquagesimo nono IV. Idus Maji, Pontificatus nostri, anno quarto.

Ne quis Regularis obtento, vel dimisso Episcopatu ullum dignitatis gradum in suæ Regulæ Familia assequi possit: an. 1559.

## PAULUS EPISCOPUS.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

**I**N Sacra Beati Petri Sede, meritis licet imparibus, divina dispositione collocati, ad ea, quibus sub Religionis jugo Domino famulantium quieti consulitur, & ambitionis via præcluditur, diligenter intendimus, & in his nostri Pastoralis Officii partes favorabiliter impartimur, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Cum itaque, sicuti nobis innotuit, nonnulli Episcopi, & Archiepiscopi diversorum Ordinum Professores, Dignitates, & Officia, etiam Superioritates nuncupata suorum Ordinum ambientes, ad hoc, ut ad illa assumi, eaque obtinere valerent, ab eorum Ecclesiis, quibus præerant, etiam munere consecrationis per eos suscepto, per Sedem Apostolicam absolvi procuraverint, & ad claustra suorum Ordinum redeuntes, postea ad Dignitates, & Officia, ac Superioritates hujusmodi diversis modis, & viis assumi, eaque consequi fategerint, & exinde quamplures dissensiones, & contentiones, ac religionis inobedienciæ exortæ fuerint, & in dies exoriantur, in animarum suarum periculum, & dictorum Ordinum opprobrium, ac scandalum plurimorum. Nos præmissis, prout ex debito Pastoralis Officii tenemur, providere volentes, motu proprio, & de certa nostra scientia volumus, & Apostolica Auctoritate statuimus, & ordinamus, quòd nullus cujusvis Ordinis, seu Religionis Professor Episcopus, seu Archiepiscopus, postquam munus consecrationis hujusmodi suscepit, etiam si à vinculo Ecclesiæ, cui præfuerat, per Sedem eandem absolutus, eique, quòd in suo Ordine remanere, & ad Dignitates, ac Officia, & Superioritates hujusmodi assumi, eaque obtinere posset, per Sedem eandem, seu illius auctoritate concessum foret, ad Dignitates, aut Officia, & Superioritates hujusmodi cujuscumque qualitatis existant, & quovis nomine nuncupentur, eligi, seu assequi, aut obtinere nullatenus possit, & ineligibilis ac ad ea obtinenda perpetuò inhabilis existat, ac quævis Indulta, Concessioniones, Dispensationes, & Facultates, ac alia Gratiæ ei tam à nobis, & Sede Apostolica prædicta, etiam per litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, vel aliàs ab ejus Legatis, seu Nuntiis, aut majori Penitentiario nostro, quàm à Superioribus dictorum Ordinum, ac quibusvis aliis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam motu, & scientia similibus, & desuper hæcenus concessa, & in posterum concedenda, nulla & invalida, nulliusque roboris vel momenti sint, & esse censentur: & si quis eum de cætero ad Dignitates, seu Officia, aut Superioritates hujusmodi scienter elegerit, jure eligendi perpetuò careat, ac voce activa, & passiva eo ipso privatus existat; revocantes, cassantes, & annullantes omnia, & singula Indulta, Concessioniones, Dispensationes, & Facultates, & Gratiæ hujusmodi, quorum tenores, ac si de verbo ad verbum infererentur, præsentibus haberi volumus pro expressis, ac decernentes irritum, & inane, quicquid super his à quoquam, quavis occasione, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non dictorum Ordinum juramento, confirmatione Apostolicâ vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis, Episcopis & Archiepiscopis prædictis, ac quibusvis aliis concessis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, & dicta auctoritate decernimus,

quòd